



**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Quæstio tertia. Vtrum correctio fraterna cadat sub precepto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

D 2. 4. 71
Magistri Durandi de
collaro vni vtrag; clave in quemlibet Christianum, & nul-
li alii nisi ex commisione Petri, vel successoris eius, vel
ex dissimulatione vnius quem scit, nec reprobat.

14 AD primum arg alterius opinionis dicendum est
quod forus penitentia voluntarius est non solus ex parte
sacerdotis quem Deus voluntariè fecit ministrum suum,
sed etiam ex parte confitentis qui voluntariè dicit peccatum
suum: sed non est voluntarius quātum ad hoc quod
quilibet posuit pro libito eligere sibi sacerdotem qui ab-
soluat eum: quia nullus potest eū absoluere nisi cui com-
missum est à vicario Christi mediati vel immediate, dire-
cte vel indirecte.

15 Ad secundum dicendum quod aliud est de Papa & de
ceteris Christianis, quia claves ordinis quātum est de se
extendunt se ad absolutionem ab omni peccato respectu
cuiuslibet personæ, vt patet ex verbis dictis omnibus
Apostolis: quorum remiseritis, &c. in quibus nulla sit ex-
ceptio de personis vel peccatis: tota autem restrictio est
ex speciali commissione facta Petruim regimine viuente
suis ecclesiæ, illa autem commissio fuit de omnibus aliis
a Petro, videlicet de omnibus commissis curæ & regimi-
ni Petri & non de Petro, & ideo extendet se ad oues Pe-
tri, id est, ad omnes Christianos, praterquam ad Petrum
& ad successorem eius. Et ideo Papa successor Petri non
subiaceat illi restrictioni quoniam posuit absolvi quolibet ha-
bente clavem ordinis prout eligere voluerit.

16 Ad tertium est dicendum quod non est simile de cla-
vibus ordinis & de clavibus iurisdictionis: quia effectus
clavium iurisdictionis transit in initium, effectus autem
clavium ordinis non transit nisi in voluntarium. Papa au-
tem non habet nec habere potest iudicem cui submittatur
initius, nec per consequens potest se submittere alicui
quantum ad iurisdictionem que de natura sua potest fer-
ri in initium, sed effectus clavium ordinis de se extendit
ad omnes nisi sint excepti per priuilegii Petri, quod
non militat contra Petrum, quia solum est de ouibus sub
iectis Petro & non de ipso: propter quod Petrus potuit,
& successor eius potest subiicere le cui voluerit quantum
ad vnum clavium ordinis in foro penitentia.

17 Ad quartum dicendum quod ex ordinatione Chri-
sti est quae oues Petri non regant nec subsint curæ vel regi-
mini cutiunculae, nisi ex commisione Petri mediata vel im-
mediata, directe vel indirecte: semper autem fedes Petri vo-
luit, qd in articulo mortis quilibet sacerdos non preceps ab
ecclesia posset quemlibet absoluere a peccatis in absentia
illius ad quæ curæ regulariter pertinet, & si nollet in illo
cau, nihilominus posset non obstante priuilegio Petri
quod non fuit ei datum ad destructionem, sed ad cedificationem,
cum fuerit ei datu ad pacendum oues: vnde in pri-
mo cau cessaret illud priuilegium Petri & staretur primæ
ordinatione Christi de potestate clavium ordinis quae se
extedit ad omnem peccatorem & ad omne peccatum, nec
casus necessitatis mutaret ministerium, sed ordinatio Chri-
sti qui in tali cau non dedit priuilegium Petro.

18 Ad argumenta principalia respondendum est ad pri-
mum, qd non quilibet peccator respectu cuiuslibet sacer-
dotis est similis materia: quia non solum ex ordinatione
ecclesiæ sed etiæ ex ordinatione Christi tota cura omniū
pertinet ad successorē Petri, & ad nullū alium nisi qua-
tenus per ipsum committitur cura alii mediata vel imme-
diata, directe vel indirecte. Et quia cura cuiuslibet non est
per ipsum committitur, ideo non quilibet potest
absoluere quemlibet, sed ille cui commissum est.

19 Ad secundum dicendum, quod licet ex verbis illis:
quorum remiseritis peccata, &c. non sit facta limitatio de
personis nec de peccatis, tamen ex verbis posita dictis Pe-
tro Ioan. vlt. pafce oues meas, &c. facta est restrictio quod
nullus potest ea quæ sunt curæ animarum (vt absoluere
in foro penitentia) nisi Petrus vel successor Petri, vel ille
qui per successorē Petri commissum est.

Q Y A S T I O T E R T I A.
Vtrum correctio fraterna cadat sub pracepto.

Tbo. 2. 2. q. 33. ar. 2.

D einde queritur de correctione fraterna, & primò
vtrum cadat sub pracepto. Et videtur quod non: quia
omnia pracepta diuina reducuntur ad illa quæ sunt deca-
logi, sed correctio fraterna non videtur posse reduci ad ali-

Sancto Porciano
quod illorum, ergo non cadit sub pracepto.

2 Item religiosi non eximuntur a pracepto diuino, si
ergo correctio fraterna esset sub pracepto, videretur p
religiosi deberet de claustrō exire ad corrīgendum secula-
res: cum plus obligat eos praceptum diuinum quam pro
priū votum. Hoc autem non est verum, quia sic petire
obseruantia claustralis, quare &c.

3 Item Hieronymus dicit: sacerdotes studeant illud
euangelium implere, si peccauerit in te frater tuus, &c. et
ergo non videretur quod saltem omnes obligentur, sed soli
sacerdotes habentes curam.

4 IN contrarium est quod dicit glosa super illo ver-
bo, si peccauerit, &c. Ita peccat qui fratrem suum peccare
videt & taceat, sicut qui peccanti non indulget, sed ad in-
dulgendum peccanti, omnes & ex pracepto charitatis te-
netur. ergo ad corrīgendum. Ad idem est quod dicit Aug.
de verbis domini. Si neglexeris corrīgere peior es factus
eo qui peccauit, sed hoc non esset nisi quis per talē negli-
gentiam adimplere praceptum omitteret, ergo correctio
fraterna est in pracepto.

5 R E S P O N S I O. Circa questionē istam tria sunt
videndā. Primum est vtrum fraterna correctio cadat sub
pracepto. Secundum est vtrum ad eam omnes teneantur.
Tertium est vtrum in aliquo casu possit aliquis excusari
si correctionem fratris omittat.

6 Quātu[m] ad primum sciendum est quod fraterna
correctio non est aliud quam admonitio fratris pro emen-
datione sua ex charitate fraterna procedens: si autem
cum admonitione verbis sit aliqua coactio per penam, aut
quodcumq[ue] flagellum iam non est solū fraterna correctio,
sed paterna, quæ coactiōnem habet, vt poena magis pate-
bit, loquendo ergo de correctione quæ est merē fraterna,
dicendum est quod ad eam tenemur ex pracepto diuino,
quod patet tripliciter.

7 Primo sic: per pracepta diuina sufficiēter ordinatur
vitæ humana in his quæ pertinent ad salutem, sed non suffi-
cienter ordinantur nisi correctio fraterna caderet sub
pracepto, ergo &c. Minor declaratur, quia cōueratio ho-
minum secundum vitam humanam assimilatur exercitu[m]
Iob. 7. Militia est vita hominis super terrā. In exercitu au-
tem est duplex ordinatio. Vna qua omnes de exercitu or-
dinantur ad ducem, vt ei obediant, & ab eo regantur. Alia
qua singuli de exercitu ordinantur adiuvin, vt unus al-
ter auxiliū præbeat. Et vterq[ue] ordo necessarius est ad
consequendum finem, sicut vñctoria ad quā ex ordinatione
ducis rotus exercitus ordinatur, ergo in conueratione vi-
tæ Christianæ, & eorū qui in aliqua communitate vivunt
est duplex ordo, vñus ad prælatum qui habet eos regere,
& cui omnes tenentur obedire, alijs singulorum ad ini-
cem, ex quo ordine unus habet alij auxiliū ferre ad cō-
sequendam salutē. Sicut ergo primus ordo cadit sub pra-
cepto, ratione cuius incumbit prælatis, vt subditorum cu-
ram gerant, & subditis, vt prælati obediunt, ira & secu-
ritas duxo cadit sub pracepto, vt subditib[us] ibi inuicem auxi-
lium præbeant: cum igitur auxiliū in spiritualibus ad-
hibeatur homini per correctionem fraternalm, appareat
quod ipsa cadit sub pracepto diuino.

8 Secundō, quia sicut se habet membra in corpore na-
turali ad actus naturales, sic se habet fideles ad actus cha-
ritatis per quam connectuntur, vt mēbra in vno corpore.
Et hoc dictum patet ex dicto Apostoli Rom. 12. vbi dicitur sic: sicut in vno corpore multa membra habemus, ita
multi vñrum corpus sumus in Christo, singuli autem alterius
alterius membra. Sed in corpore naturali membra pro se
inuicem sunt sollicita, & vnum expellit malum alterius
quātum potest, sicut dicit idem Apostolus. i. Cor. 12. ergo
fideles qui sunt in ecclesia tanquam vñus corporis mem-
bra ex ordine charitatis tenentur malum aliorum expel-
lere quantum possunt, hoc autem fit præcipue per corre-
ctionem fraternalm, quare &c.

9 Tertiō, quia elemosyna corporalis non magis ne-
cessaria quām spiritualis, cum ergo elemosyna corpora-
lis sit sub pracepto quando imminent necessitas corpora-
lis dicente Ambr. Pafce fame morientem, quod si non pa-
uisti occidisti, relinquitur quod correctio quæ est elemo-
syna spiritualis fortiori ratione sit sub pracepto. Et sic pa-
tet primum.

10 Quās

Lib. IIII. Distinctio. XIX.

¹⁰ Quantum ad secundum dicendum est, quod omnes tenentur ad correctionem fraternalm respectu omnium superiorum, inferiorum, & parvum. Cuius ratio est, quia ad actum charitatis obligantur omnes qui tenentur habere charitatem, quia quantum se extendit habitus tantum & actus, qui procedit ex habitu: sed omnes tenentur ad habendum charitatem & ad omnes pares, superiores, & inferiores, amicos, & inimicos, ergo omnes tenentur ad corripendum quoque delinquentes, cu[m] correctionis fit actus virtutis: verumtamen quia actus virtutis debet esse in formatus debitis circumstantiis, ideo in correctione qua subdit corrigunt prelatos suos debet esse talis modus, ut non praejudicetur honoris & reverentiae praelationis: vnde Apostolus ad Tim. 5. Seniorem ne inciperet, sed obsecra, ut patre, & Dion. redarguit Demophylum monachum, quia sacerdotem & se maiorem correxerat irreuerenter eum percutiens, & ab ecclesia ciciens, in quo excessit non solum modum correctionis fraternalis inferioris ad superiorem, quia irreuerenter correxit, sed etiam modum correctionis fraternalis, quia correxit non solum verbo, sed verbere, quam correctionem non habent nisi Prelati gerentes ex officio curam eorum quos corrigunt, fraternali auctoritate in habent omnes respectu omnium: vnde Pelagius Papa dicit, & habetur. 24. quæst. 1. Tam sacerdotes quam reliqui fideles omnes suminam debent habere curam de illis qui pereunt, quatenus eorum redargitione, aut corrigantur a peccatis, aut si incorrigibilis apparuerint ab ecclesia separantur. Et sic patet secundum.

¹¹ DE tertio sciendum est, quod cum de correctione fraternali sit preceptum affirmatum, quod non obligat nisi pro loco, & tempore, & ceteris circumstantiis debitis concurrentibus, inter quas praecipua est illa que est de fine, ideo non semper obligatur homo ad correctionem fraternalis, cuius ratio est. Quia illud ad quod nullus obligatur nisi propriæ finem non cadit sub precepto nisi qualiter est necessarium ad finem, sed ad correctionem fraternalis nullus obligatur nisi propter emendationem fratris, ut patet tam ex eius diffinitione quam ex aliis supradictis, ergo ad eam nullus tenetur ex precepto nisi speretur quod ex correctione sequatur emendatio. Et iterum si expectatur opportunitus tempus quo magis potest prodesset correctione, non peccat qui correctionem differt, sed charitatue agit, sicut dicit Aug. 1. de ciui. Dei, cum ratio eorum que sunt ad finem ex fine sumatur.

¹² AD primum argumentum dicendum est quod omnia precepta quæ pertinent ad impendendum aliquo beneficio proximo reducuntur ad preceptum de honoratione parentum: eis enim tanquam magis meritis primò impendenda sunt beneficia tam corporalia quam spiritualia, & deinde alii: cum igitur correctionis spiritualis sit beneficium impensum proximo, patet quod reducitur ad preceptum de honore parentum.

¹³ Ad secundum dicendum, quod religiosi tenentur ad correctionem fraternalis, sicut & ceteri, nec tam propter hoc oportet quod exeat claustrum ad quærendum delinquentes, ut eos corripiant: quia nec præcipitur, sed sufficit quod corripiant occursum, vnde dicit Aug. in libro de verbis Domini. Admonet nos Dominus nos non negligere inuicem peccata nostra quia querendo quid reprehendas, sed videndo quid corrugas, alioquin efficeremur exploratores viæ aliorum, contra illud quod dicitur Proverb. 24. Non queras impietatem in domo iusti, & non vastes requiem eius.

¹⁴ An tertium dicendum, quod vel Hiero. loquitur de correctione quæ sit non solum verbo, sed verbere (quod patet ex hoc quod subiungit, quod est enim misericordia parcer vni & omnes in discrimen adducere) que compositum solum prelates qui habent vim coactuam super subditos quam non habet frater in fratrem: vel hoc dicit non quia ad solos sacerdotes pertineat preceptum de correctione fraternali, sed quia ad eos specialius pertinet, quia sicut dicit Aug. 1. de ciui. Dei. Grauor est negligientia prelatorum in correctione fraternali quam aliorum, sicut enim beneficia temporalia potius debet aliquis illis impendere quorum curam temporalem habet, ita & beneficia spiri-

Quæstio III.

³⁵⁸ tualia (ut correctionem & doctrinam) magis debet exhibere illis qui sunt sua speciali curæ commissi, licet alii ad hoc teneantur quanvis non tantum, &c.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum in correctione fraternali debat secreta monitio præcedere denunciationem.

Tho. 2. 1. q. 33. art. 7.

Secundum queritur utrum in correctione fraternali debat secreta monitio præcedere denunciationem. Et videtur quod non: quia accusatio est grauor quam denunciatio, sed ad publicam accusationem potest aliquis procedere nulla secreta admonitione præcedente, sed sola inscriptione, ut dicit Innocentius extra de accusatione, quæ liter & quando, ergo videtur quod nec denunciationem debat præcedere secreta admonitione.

² Item secundum Aug. in libro contra medacium. Ex factis sanctorum colligimus quid in scripturis sentire debamus, sed Christus denunciavit Apostolis Iudam ante admonitionem factam, ut patet Ioan. 15. Similiter Petrus damnauit Ananiam & Saphiram ante aliquam admonitionem factam, ut patet Act. 5. Similiter Paulus reprehendit Petrum coram omnibus nulla monitione facta secreta, & eodem modo Joseph accusauit fratres suos apud patrem crimen pestis, Gen. 37, ergo videtur quod non semper secreta monitio debet præcedere denunciationem.

³ IN contrarium est quod dicit Dominus Mat. 18. si peccauerit in te frater tuus corripe eum inter te, & ipsum solum, &c. vbi manifestè innuit, quod secreta monitio debet præcedere denunciationem. Eribi dicit glosa: hoc ordine vitare scandalum debemus.

R E S P O N S I O. Aduertendum est quod peccatum fratris potest esse vel omnino publicum & notoriū, vel secundum quod probari non potest, nec de eo infamatus est, vel partim occultum, & partim notoriū, quod est quod innotescit pluribus per quos cōunci potest, vel apud graues personas diffamatus est quia publica fama non sit. In primo casu dicendum quod secreta admonitione non habet locum. Cuius ratio est, quia cum admonitione secreta fac propter emendationem fratris quæ est eius sanatio spiritualis, sicut est in sanando aliquo corporaliter, sic facienda est in corripiendo aliquo spiritualiter, sed in sanatione corporali se est quod medicus si potest hominem tota liter sanat ab infirmitate, si autem non potest negligit minus malum ut occurrat maiori malo, sicut amputat unum membrum ne torum corpus inficiatur, ergo similiter debet esse in correctione quæ est sanatio spiritualis: ex peccato autem homo duplex damnum incurrit, scilicet damnum innocentie quod est maximus, & dispendium famæ si sciat eis peccatum, & istud est minus quam primum. Est tamen magnum quia per amissionem famæ homo patitur detrimentum non solum in temporalibus, sed etiam in spiritualibus: quia per timore infamie multa a peccato terrahabuntur. Et ideo sic sanandus est peccator per correctionem si fieri potest quod totaliter ei innocentia restituatur nec fama perdatur, sin aliter debet negligi fama ut conscientia reparatur. Ex quo potest sic argui: vbi iam est perdita fama non habet locum admonitione secreta, licet admonitione possit locum habere, sed quando peccatum aliquius est notoriū famæ est perdita fama, ergo hic non habet locum admonitione secreta. Si autem peccatum sit omnino occultum modo quo dictum est prius, aut illud non solum est nocivum peccari, sed in detrimentum aliorum temporale vel spiritualis, ut pote cum aliquis tractat de prodenda ciuitate hostibus, vel quando later hæreticus innitens ad corruptionem fidei & morum in aliis, aut est solum nocivum peccanti. In primo casu si firmiter credatur quod peccator propter admonitionem secreta sibi factam desistat a malitia, omnino prius est admonendus antequam alii reueletur propter rationem prius dictam, scilicet ut pectorum famæ cum emendatione conscientiae. Si autem probabilitate timeatur de emendatione eius, denunciandum est illi qui potest periculo occurrere, salua tamen famæ eius quantum est possibile. Cuius ratio est, quia charitas plus diligit bonum commune quam bonum singularis personæ.